



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

IX. De votis, & praesertim monasticis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

ANNO  
CHRISTI  
1527.

lo sanctius institui , quo ministri puriores sacris accedant altaribus , & iugi pene sacramentorum administrationi reddantur aptiores : quam neminem nec ad subdiaconatum quidem admitti , qui non sese voto perpetua castitatis adstrinxisset . Etenim si in lege veteri ii tantum sanctis panibus vescebantur qui ab vxoribus mundi forent , si procul a suis domibus habitabant , quibus sua vice sacrificandum erat , ne coniugum forte polluerentur amplexibus : si quibus orandum est , a coniugali commercio sit ad tempus abstinentium : si denique a viduis , quas suis sumptibus ecclesia quondam alendas admittebat , continentiæ votum exegerit , iure quidem optimo a summis pontificibus & sanctis ecclesiæ Conciliis indictum est , vt qui sacris vltro sese ordinibus manciparent , perpetuo cælibatus vinculo nechterentur . Nam , *Qui sine uxore est , soliditus est quæ Domini sunt , quomodo placeat Deo . Qui autem cum uxore est , solicitus est quæ sunt mundi , quomodo placeat uxori , & diuisus est .* Degrauat quippe animum , & ad terrena decarthag. II. cap. 2. Carthag. V. cap. 2. Toletan. I. cap. 4. iicit vsus matrimonii : amor liberorum avarum & sollicitum reddit . *Quisquis igitur contra sacrorum Conciliorum & patrum decreta , sacerdotes , diaconos aut subdiaconos lege cælibatus non teneri docuerit , aut liberas illics concederit nuptias , inter hæreticos , omni tergiuersatione reiecta , numeretur .*

## IX.

Non absimili sane versutia veritatis inuersores declinauerunt in verba malitiæ , ad excusandas excusationes in peccatis : dum vota perpetua , & in his potissimum monastica , non vanitatis tantum , sed & impietatis accusant ; & abiecta pessimo quidem exemplo cuculla , ad sacrilegas se conuertunt nuptias . Quod infandum apostasiæ genus hac vna maxime prætexunt ratione , quasi vota eiuscmodi libertati Christianæ præiudicium afferant , nec fatis in nostra sit potestate iugis illa perpetuaque castitas . Atque his strophis in desideria carnis pelliciunt eos qui paululum effugiunt , libertatem eis promittentes , cum ipsis sint serui corruptionis . At vero nulla maior libertas , quam cum repressa carnis tyrannide , corpus in obsequium Christi trahitur , nec tam concupiscentia ducimur , quam spiritu . Nempe ubi Spiritus Domini , ibi libertas : neque

quidquam est, quod non possimus in eo qui nos confortat: Christus quippe non patitur nos tentari supra id quod possimus, sed facit cum tentatione prouentum, ut possimus sustinere. Cuius auxilio freti inuenti sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cælorum. Ac proinde certa sit damnatio viduarum, quæ cum luxuriatæ forrent in Christo, volebant nubere, turpi certe transfugio primam fidem irritam facientes, non quam baptismō, qui nuptiarum foedera non respuit; sed, iuxta expositiōnem Concilii Carthaginensis, quam perpetuæ castitatis <sup>27. quæst. i.</sup> <sub>cap. Sicut bonum.</sub> professione spoondissent. Ab hoc autem perpetuæ castitatis voto qui Christum aliquando dehortantem facit, in eum blasphemat, & Apostolo contrarius est: qui palam nec semel tantum ad perpetuæ virginitatis obseruantiam instigasse legitur. Ceterum cum Christus aperte suadeat, ut qui vult perfectus esse abneget semetipsum, & tollat crucem suam, vadat, & vendat omnia quæ habet, & det pauperibus, ad perpetuæ profecto tum obedientiæ, tum paupertatis vota cohortatur. Si quis igitur votum aliquod huiusmodi voverit Domino, etiamsi perpetuum fuerit, non faciet irritum verbum suum, sed deiparæ Virginis, Annae matris Samuelis, & Rechabitarum exemplo, omnē quod promiserit implebit, neque tardabit reddere, sed quæ semel de labiis suis egressa fuerint obseruabit, & faciet sicut promisit Domino: quandoquidem ruina est homini, deuotare sanctos, & post vota retractare. Quod si quis secus fecerit, aut haeretica prauitate corruptus secus facere licitum esse docuerit, is velut iuris tum diuini tum naturalis infraactor, nedum sacrosanctis Conciliis iniurius condigna per suos superiores animaduersione ple-  
Etatur.

X.

Etsi nihil intentatum reliquit haereticus, quo Christianam fidem omni parte profligaret; in abrogandis tamen sacramentis, vipereo dente sacra matris ecclesiæ viscerā crudeliter dilaniat. Et quibus aliquando spiritualibus coaluit incrementis, ea non ingrato tantum, sed & perfido per nefas austi conatur abrumpere. Nec enim satis esse visum est, si sacramentorum ecclesiasticorum numero detraxerit, dum pleraque ex eis humanum & re-